

LVNÆ DIE 19 M. DECEMBRIS A. 2005

A.d. XIV Kal. Ianuarias a. MMVI

I 2 9

# M E L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## EVROPALIA RVSSIÆ

- scripsit Gaius Licoppe -

Exhibitio festiva « Europalia » intitulata anno 1969 Bruxellis creata est ut Europæum patrimonium culturale magis innotesceret. Ab eo tempore, tertio quoque anno una ex amicis civitatibus invitatur ad heredium suum culturale exhibendum atque explicandum, nullo prætermissis artium et animi culturæ aspectu. Hoc fit non solum in præstantibus ædificiis Bruxellensibus, sed etiam in aliis Belgicæ urbibus.

Propositum creatorum est efficere ut varii Europæi populi inter se melius noscant atque intellegant. Nomen « Europalia », quod elegerunt, fictum est contractione duorum nominum, quæ sunt « Europa » et « Opalia » ; quæ festa Romani in honorem Opis, deæ abundantiae, celebrabant.


Hoc anno Europalia splendide instituit Russia, patrono ipso præside Fœderationis Russicæ, Vladimiro Poutine. Non solum compluribus exhibitionibus illustratur Russiæ historia ab Hunnis usque ad nostra tempora atque monstratur ars photographica, recens ars pingendi necnon ars aurificis Fabergé, cuius pretiosa ova præsertim sunt notissima, sed etiam audiuntur octo orchestræ symphonicae, tredecim orchestræ camerales, optimi solicani, chori et greges populares. Præterea centum pelliculæ cinematographicae sovieticæ et Russicæ monstrabuntur. Denique licebit clarissimum gregem ballatorum Theatri Bolchoï compluries admirari.

Notandum est præsidem Poutine diem Festi Nationalis Russiæ modo mutavisse ; habebatur enim die 7 mensis Novembris ad « bolchevicorum » revolutionem celebrandam, quæ eo ipso die anni 1917 inchoata est. Præses autem cum memoriam regiminis communistici tollere vellet, favente ecclesia orthodoxa, Festum Nationale constituit die 4 mensis Novembris ; quo die anni 1612 Poloni, qui soli extranei arcem Kremlinum umquam occupaverunt, expulsi sunt concursu multitudinis ab oppido Nijni-Novgorod profectæ et pro se ferentis miraculosam iconem Virginis de Kazan.

Præcipua Europalium exhibitio instructa est in Palatio Bellarum Artium (*Fr. Palais des Beaux-Arts*), cui recenter ridiculum nomen « BOZAR » datum est. Ibi Russici Imperii historia a quinto decimo sæculo multis pulcherrimisque artificiosis operibus illustratur.

In Museo Artium et Historiæ in ædibus Quinquagenarii sito, instructa est exhibitio Transsibiricæ ferri-viæ dedita et parva exhibitio de Hunnorum arte.

Si quis Russiæ historiam ab initio intellegere cupit, oportet geographicam Eurasiae mappam ante oculos ponat et mente sibi fingat immensitatem stepparum<sup>1</sup>, quæ in longitudinem quinque milia chiliometrorum et sescenta per Eurasiam continenter patent ab extrema Siberia ad Hungariam. Singularitas historiæ Russicæ



Post barbariem temporis Hordæ Aureæ, duodevicesimo sæculo splendet palatiorum architectura. Hic conspicitur palatium æstivum imperatricis Elisabethe Petrovnæ, Petropoli situm.

maximopere pendet a vitæ condicionibus in steppis, quarum tres ætates distinguendæ sunt : ante equitatus inventionem, ætas aurea nomadicorum ferorumque equitum, ætas moderna, qua hi equites sagittarii canno-nibus et sclopetis adnihilati sunt.

Prima ætas pertinet ad præhistoriam ; tunc gentium migrationes fiunt ab occidente ad orientem una cum novitatibus cultus humani ; vestigia palæolithica et neolithica inventa sunt in Russia et in Siberia. In seri-oribus sepulturis archæologi complures thesauros inven-erunt, qui constant ex utensilibus aeneis et ornamentis aureis. Tunc temporis homines vivebant sedentarii in fluviorum vallibus. Ad hoc aeneum ævum pertinent Cimmerii, qui ab anno circiter 1200 a.Ch.n. amplam regionem Russiæ meridionalis occupabant supra Pontum Euxinum sitam. Cimmerii sunt primi huius regionis incolæ, quorum antiqui auctores nomen tradiderunt.

Tunc temporis aliquid evenit in hominum historia maximi momenti : homines in equum conscendere dis-cunt ; incolæ stepparum sunt primi, qui equitare valeant ; pars eorum tunc vitam sedentariam relinquit et novum vivendi modum init : fiunt nomades, qui agros iam non colunt, sed greges solum pascunt ; vivunt in coactilibus rotundisque tectoriis, quæ celeri-ter dissolvuntur et in carris imponuntur, quoties-cumque migrant ad meliora prata inveniendâ. Viri sunt eximii equites, qui totam fere vitam degunt equi-tantes ; sunt etiam sollertissimi sagittarii.

Novum genus bellatorum tunc oritur, quorum Scythæ primum exemplum historicum afferunt. Hi bellicosi equites ex steppa Sibirica in Russiam meridio-



*Hunnicum cincturæ ornamentum in Sibiria inventum (II sæc. a.Chr.n. - I sæc. p.Chr.n.)*

nalem circa annum 700 a.Ch.n. migrant, unde Cimmericos vi propellunt ; sic vicini fiunt Græcarum coloniarum ad litus ponti Euxini florentium.

Secunda ætas incohatur ab his Scythis, de quorum ferocibus moribus Herodotus multa portentosa narravit, vix credibilia, nisi archæologia moderna pleraque confirmavisset.

Scythæ et eorum congeneres Sarmatæ, utrique stirpis Indo-Europææ, quasi similiter vivebant ac Hunni stirpis Hunno-Mongolicæ, qui eodem fere tempore nomadizabant in extrema Asia prope limites imperii Sinensis. Ineunte secundo sæculo a.Ch.n. Hunni, quos Sinenses vocant « Xiongnu », magnam cladem intulerunt imperio Sinensi. Tunc Sinenses ingentia moenia exstruere cœperunt ad nomades arcendos.

Propter varias res gestas, quæ hic non sunt narrandæ, pars Hunnorum ad occidentem migravit. Exeunte quarto sæculo p.Ch.n. per Russiæ hodiernos fines in Europam occidentalem irruptionem fecerunt, Attila duce. Alias narravi quomodo anno 451 Ætius eos e Gallia expulisset. Hunnorum aenea ornamenta solum spectant ad armamenta equitis et equi, atque fictis animalibus illustrantur ; magnam eorum copiam inspicere licet in Europalium exhibitione de Hunnis.

Per multa sæcula steppæ Asiæ septentrionalis non desierunt frequentes ferocesque turbas nomadum equitum vomere in excultas civitates Europæ et Asiæ meridionalis, præcipue in imperium Byzantinum, Persicum et Sinense necnon in regnum Hellenisticum Bactrianæ in media Asia situm. Longum est eorum vastationes cædesque hic narrare. Vicissim in Europam irrumpunt Avari stirpis Mongolicæ, Bulgari stirpis Turcicæ et Hungari stirpis Finnicæ. Adveniunt postea Turci Seldiucidæ et deinde Othomani, qui imperium Byzantinum expugnant.

Summus tamen nomadum equitum impetus nondum accidit. Ineunte enim tertio decimo sæculo, Temudjin « quaghan » fit « omnium eorum qui sub coactilibus tentoriis vivunt », i.e. « Magnus Khanus », ut scribunt Europæi viatores. Iste Temudjin, quem

Gengis-khan vocare solemus, expugnat imperium Sinense ; anno 1215 Pekinum obsidet et capit ; per unum mensem trucidantur incolæ et diripiuntur domus, quæ in fine incenduntur ; strues cadaverum in viis putrescunt.

Confectis Sinis, Gengis-khanus se ad occidentem vertit atque Afganiam et Iraniam imprimis expugnat ; urbium incolæ semper eadem ferocitate systematice trucidantur. Inde eius exercitus invadunt Georgiam et Russiam meridionalem, ubi nemo eum impedire valet. Tunc Gengis-khani dominatio patet in ruinis excultarum civitatum a Russia ad Pekinum. Tantus tunc oritur in Occidente terror Mongolorum, ut papa Innocentius IV Franciscanum Iohannem de Plan Carpin et rex Francogalliae, Ludovicus IX, Dominicanum Vilelmum de Rubrouck ad Magnum Khanum mittant, qui frustra conantur eum ad christianismum convertere vel cum eo pactum pangere contra mahumetanos.

Gengis-khano mortuo, eius filii imperium inter se dividunt, ut solet apud barbaros, sed pergunt Mongolicam dominationem extendere. Russiæ principatus unus post alium profligantur ; Moscua, tunc parvum oppidum, anno 1238 populatur. Ab eo tempore pars meridionalis Russiæ est in ditione khanatus « Hordæ aureæ »<sup>2</sup> ; principes Russi, qui in parte septentrionali regnant, sunt khanatus vassali. Quotiescumque a iugo se liberare conantur, Russi crudeliter castigantur ; anno 1382 Moscua, inter alia oppida, iterum funditus deletur.

Tertia ætas tandem instat, qua sedentarii scelera nomadum ulciscantur. Initium facit princeps Moscoviæ Ivanus IV, Terribilis cognominatus. Medio sexto decimo sæculo eius exercitus, cannonibus instructus, reliquos khanatus expugnat ; viri trucidantur, dum feminae et pueri in servitudinem rediguntur. Anno 1581



*In Museo Artium et Historiæ : introitus exhibitionis de Transsibirica ferrivia.*

Russorum arma primum transgrediuntur montes Urales, quibus Europa ab Asia dividitur. Equites nomades per tot sæcula formidabiles iam non possunt impedire ne Russi tota Sibirica steppa potiantur ; intra unum sæculum indefessi milites, exploratores et mercatores gradatim usque ad oceanum Pacificum et fines Sinarum perveniunt. Arces et urbes conduntur.

Denique inter annum 1891 et 1915 exstruitur Transsibirica ferrivia, omnium longissima, quæ ab urbe Moscuæ usque ad portum Vladivostokium ducit. Est via qua cultus sedentariorum pedetemptim substituitur barbaræ vagationi. ❀

1. Steppa, æ : inutile, meo sensu, est vocabulum antiquum exquirere, quod cum re Romanis ignota vix congruere possit ; « tesca, orum » propositum est, sed cum re non plane congruit et vix intellegitur. Hæ infinitæ herbidæque planities, quales patent in Russia et Sibiria, « step » a Russis vocantur. Hoc vocabulum Russicum in omnes linguas modernas assumptum est, non est ergo causa cur idem Latine non faciamus.

2. Horda, æ (Fr. *borde*) est vocabulum origine Tataricum, i.e. stirpis Turcicæ, quo significatur turba hominum vastationem inferentium.

---

## IN MEMORIAM INCLYTAM IOHANNIS CLAVDII ALEXANDRI CHAMPEAV

Die 16 mensis octobris anni MMV Iohannes Claudius Champeau diem supremum obiit. Professor aggregatus scientiarum naturalium in universitate Nicænsi, sero venit ad Latinitatem vivam. Novit Clementem Desessard, Feriarum in Provincia inceptorem, quocum Latine sermocinari incepit et anno 1992 Feras Latinas, quæ tunc Nicææ habebantur, primum participavit ; inter excursionem per montes factam participes eum auscultabant de geologia disserentem et arborum nomina Latina citantem. Ab eo tempore non desiit Feras interesse ; paulatim auxilium Clementi tulit in rebus ordinandis.

Ab anno 1995 Clemens, ægrotans et fessus, quærebatur successorem ; Iohannes Claudius ei videbatur optime convenire, sed is adhuc docebat in universitate. Anno 1999 sedes Feriarum translata est in abbatiam Ferigoletensem et Iohannes Claudius, rude donatus, factus est Feriarum præses, quas inde diligenter moderatus est.

Equidem ab anno 1992 Feras non iam participavi ; quare Iohannem Claudium non ante annum 1999 primum conveni, cum, petente Clemente, ad Feras redii. Optimum consuetudinem cum eo iunxi, eo facilius quod ambo scientiis naturalibus studueramus. Infeliciter anno 2003 Iohannes Claudius prima symptomata insidiosi et gravissimi morbi ostendit. Dum



*Iohannes Claudius Champeau (a dextris) inter Feras Latinas. Iuxta eum sedet eius optimus amicus Gilbertus Labadie, qui eum ægrotantem visitare et consolari non desiit usque ad diem supremum. Feriarum facem nunc assumpsit Maria Antonina Avich, quæ hunc Latinistarum conventum strenue perget instituere.*

contra morbum fortiter luctat, eius uxor, etiam letali morbo afflictæ, intra breve tempus vita functa est.

Quamquam morbo et dolore confectus, Iohannes Claudius Feras moderari perrexit. Eum ultimum visitavi inter Feras hornotinas ; hominem macerrimum et valde debilitatum conveni, quem solum adhuc movebat studium Latinitatis et amor Feriarum. Usque ad postremum spiritum res Latinas tractavit ; paucis enim diebus ante mortem ad me misit longum indicem vocabulorum ad geologiam spectantem.

Gratiæ agendæ sunt strenuo fautori Latinitatis vivæ et laudanda est eius mirabilis fortitudo.

Sit ei terra levis.

Gaius LICOPPE

# DE SCHOLA NOVA ANTE DECEM ANNOS CONDITA

– scripsit Gaius Licoppe –

Ante decem annos Stephanus Feye, professor in Musicæ Conservatorio Leodiensi et linguarum classicarum strenuus cultor, cum scholam non inveni- ret ubi duo filii tradito more erudirentur, statuit scho- lam ipse condere. Duobus primis discipulis plures plu- resque se aggregaverunt, ita ut nunc floreat schola cir- citer quadraginta discipulorum.

Ad decimum anniversarium digne celebrandum, Stephanus concentum musicum instituit in aula maxi- ma Musicæ Conservatorii Bruxellensis. Die 14 mensis Octobris magnus hominum concursus septingenta aulæ loca complevit ad exquisitum concentum audiendum. Rem primum introduxit Carolina Thuysbaert, Scholæ Novæ diligens reatrix. Postea Stephanus volebat lin- guam Latinam ibi etiam palam sonare, quare a me peti- verat ut brevem facerem allocutionem ; homines verba mea auscultaverunt stupentes et silentes ; licebat tamen translationem Francogallicam et Nederlandicam in programmatis libello legere. Denique Vincentius Nève, cuius complures liberi Scholam Novam frequen- tant, sinceris verbis gratias egit magistris discipulis tam devotis ; idem etiam laudavit cooperationem magistro- rum cum parentibus, qualis ibi ad liberos educandos instituitur.

His peractis, orchestra cameralis « L'Heure d'Or » vocata concentum incohavit, ipso Stephano virgula regente ; inter symphoniacos erant eius filii Raphæl et Alexander. Ad opera Caroli Philippi Emmanuelis Bach, Wolfgangi Amadei Mozart et Iohannis Sebastiani Bach interpretanda, artem suam attulerunt clari solicani, Iustus Grimm, Adam Korniszewski et Iwona Sobotka. Vehementi iteratoque auditorum plausu concentus bis protractus est.

Pecunia a locis conductis collecta destinatur ad dis- cipulos in Scholam Novam accipiendos, quorum parentes minerval solvere nequeunt.

Hæc autem sunt verba, quæ palam protuli :

« 'Omnia omnibus' : hoc legitur Bruxellis in fronte vitreæ porticus Sancti Huberti. 'Omnia' verba mea a vobis 'omnibus' intellegi, utinam fieri possit.

Infeliciter linguæ Latinæ notitia intra semisæculum minui non desiit.

Usque ad alterum bellum mundanum institutio lin- guæ Latinæ et Græcæ pars maximi momenti erat stu- diorum humaniorum ; postea gradatim disparuit lingua Græca et optiva facta est lingua Latina. Eius institutio, plerumque tædiosa, ita coartari non desiit, ut in fine tantum fieret narratio quædam de cultu moribusque antiquorum Græcorum et Romanorum, qui insuper ostenduntur ut singulares extranei, non ut nostri reve- rendi maiores.



Solicani et Stephanus Feye (ad dextram).

Schola Nova non solum restituit traditum funda- mentum nostræ institutionis, sed linguas classicas modo vivo attractivoque efficacius docet. Ibi adoles- centibus licet otio frui, id est rebus studere, quæ ad quæstum faciendum non spectant, sed quibus eorum intelligentia exercetur eorumque memoria locupletatur, quibus solis condicionibus acquiritur iudicii libertas.

Post alterum bellum mundanum multilinguismus laudari cœptus est, qui abusive dicitur mentes locuple- tare. Hæc re vera est œconomica necessitas Europæo- rum, quibus gravissimo oneri est linguarum multiplici- tas. Neque Americani, qui potentissimi sunt in orbe terrarum, neque Sinenses, qui frequentissimi sunt, multilinguismo favent.

Hanc tamen necessitatem non neglexit Schola Nova, sed hac in re etiam efficacissimam methodum elegit ; linguæ enim Nederlandica et Anglica docentur immersione linguistica.

Omnia omnibus discipulis tradere, fatendum est hoc fieri non posse, quia non mutabitur diversitas ingeniorum, sed maximum peccatum sit impedire ne apti discipuli quam optime erudiantur. Quid valet planta sine flore ?

Scholæ Novæ moderatores non fefellit linguam Latinam vinculum et signum cultus Europæi semper fuisse. Hoc certe memorandum est, cum videmus quam laboriosum sit Unionem Europæam ædificare. Solos nationalismos, quin etiam regionalismos, fovere et contra patrimonium culturale toti Europæ commune omnino neglegere, certe non est optima via. Commissio Europæa pecuniam largitur minimis dialectis fovendis, nullam vero Academiæ Latinitati Fovendæ. » ❀

# QVA LINGVA DE ŒCONOMIA DISPVTATVR ?

– quæstio a Paulo Kangiser proposita –

I. *Œconomistæ Latine nesciunt.* Adamus Smith (1723-1790), qui a suis æqualibus philosophus habebatur, quamvis litteras Latinas et Græcas penitus sciret<sup>1</sup>, Anglice tamen scripsit ; opus enim eius vulgatissimum, cui titulus « Inquisitio de Indole et Causis, quibus Nationes Ditantur »<sup>2</sup> anno 1776 editum est et brevi tempore in alias linguas translatum ; itaque scientia œconomica a cunabulis litteras Latinas neglexit, neque postea Latinitate usa est sed plerumque Anglica lingua.

Eodem fere tempore Immanueli Kant (1724-1804) idem visum est cum opus philosophicum, cui titulus « Critica Rationis Puræ », anno 1783 scriberet ; notum est eum in hoc opere linguam Germanicam usurpasse ; sed non est nunc quærendum de causis quibus Smith aut Kant doctrinas suas litteris Latinis contineri non posse putaverunt.

Simili modo, Carolus Marx (1818-1883), qui non penitus Latine didicit<sup>3</sup>, opus suum notissimum « Capitale » lingua Germanica scripsit ; in quo opere doctrinam Adamo Smith oppositam instituit.

II. *Principia Smithiana et Marxiana.* Apud Smith, divitiæ neque a pecunia neque ab auro neque ab agro accipiuntur, sed a labore humano, inter homines convenienter distributo : homines ditantur prout ad eas operas, quas maxime pernoscant et expeditius perficiant, se dare possunt ; ut vero quisque in operam a se electam incumbat, libertate frui debet ; inde libertatem in civitatis fundamentis posuit, nam libertas mercandi omnibus prodest.

Carolus Marx doctrinam suam, quæ non solum œconomica est sed etiam systema philosophicum, « socialismum scientificum » ipse nuncupavit ; postulatum regimen capitalisticum delendum esse ; negat operarios mercedem a remuneratoribus iustam tribui ; etiam « classium pugna » societatem mutandam esse docet, usque dum proletarii dictaturam instituant nec nisi a se ipsis regantur<sup>4</sup>.

Doctrinæ Communisticæ sive Bolchevistæ ab anno 1917 in Russia, sub Caroli Marx umbra, Vladimirus Lenin et Iosephus Stalin maxime faverunt et usque ad sæculi vicesimi finem hæc viguit doctrina ; nunc vero, Muro Berolinensi deleta et nationibus Sovieticis sive Communisticis disiunctis, theoria Marxiana pondus perdidit, eiusque sectatores doctrinam partim mutaverunt.

III. *In liberalismum et neoliberalismum sententiæ.* Tamen non desunt ii, qui liberalismum œconomicum vel primigenium iuxta Adamum Smith, vel novis temporibus accommodatum iuxta neoliberales, fortiter

vituperent et pessimum mundum futurum præsiagiant.

Sunt etiam qui hominibus loca, ubi laborent, defutura et mundializationem fieri calamitatem crebro proferunt : talis est, inter alios, Vivianna Forrester, quæ opus nuncupatum « Œconomica Formido » (*L'horreur économique*) anno 1996 scripsit ; aperte dicit nos ad eiusmodi societatem civilem appropinquare, in qua multis hominibus novum Asvecimium (*Auschwitz*) minatur ; nusquam enim reperietur locus ubi laborent ut victum habeant<sup>5</sup>.

Sed contra, Mauricius Rojas<sup>6</sup>, in acroasi anno 1998 ineunte Holmiæ habita, has desperatas sententias tunc in Europa Occidentali vigentes examinavit et refellit ; huius autem acroasis propositum hoc erat : præcipua argumenta eorum<sup>7</sup>, qui plurimos operarios sine labore et cum fame in orbe terrarum futuros esse affirmabant, cum certis de vero statu numeris statisticis documentisque conferre, eo consilio ut demonstraret quam falsa de operis laboribusque extinguendis essent argumenta ; præterea animadvertit ea, cum essent falsa, tamen facile provulgari adeo ut capitalismus acerrime damnaretur et moveremur quodam sensu vitæ tragico, quo sæpe multi homines afficiuntur. Qui huic acroasi aderant, ita propositum probarunt et plauserunt, ut ex ea libellus fieri placeret, cuius titulus Suetice fuit *Valsar om arbets slut*<sup>8</sup> (Timbro, Stockholm, 1998) ; deinde Anglice<sup>9</sup>, Italice<sup>10</sup>, Germanice<sup>11</sup>, Francogallice<sup>12</sup>, Hispanice<sup>13</sup> editus est. De Hispanica versione quædam excerpere ausus sum et in Latinum vertere vel aptare.

IV. *Mythistoria hodierna de œconomia.* In his nationibus, ubi cives libertate fruuntur, multa sunt loca<sup>14</sup>, ubi operarii laborent<sup>15</sup> ; nunquam post hominum memoriam, humanitas tot homines vidit, quorum vitæ, brevi tempore, vel hac recentissima decade, sint in meliorem statum mutata ; nunquam antea tot homines in democratia vitam, suis præcipuis iuribus servatis, degerunt.

Nihilominus, numerus crescit eorum, qui, potiusquam talia eventa felicia celebrent, istos prophetas, ruinam prædicantes, inconsulto sequuntur ; id præcipue accidit atque in Europa Occidentali, quæ a progressu œconomico magis magisque discedit, atque in America Meridionali vel Latina, quæ sæpe in summo discrimine est ; utraque continens ab aliis nationibus, quæ œconomice progrediuntur, superatur ; Europæi vero et Latinoamericani, antequam serio rerum adversarum causas investigent, hostiam, quam peccatis culpisque suis onerent, immolandam invenire cupiunt : hanc hostiam esse vel technologiam vel liberum capitalium comæatum vel Ærarium Nummarium Internationale<sup>16</sup>

vel Argentariam Mundanam<sup>17</sup> vel denique Civitates Fœderatas Septentrioamericanas ; ita culpam propriam dissimulant et politicam civium exprobrationem vitant nec societatem civilem reformant, etiam si progressu carent et res adversæ vitiaque communia ingravescent.

Ex anno sæculi vicesimi fere sexagesimo prophetæ non defuerunt, a quibus hæ erroneæ doctrinæ alerentur : progressum, ex libertate ortum, exstinctum iri ; nuntiabatur etiam magna mundi hodierni clades, quod materies primigeniæ, fabricationi necessariæ, deletæ vel exstinctæ essent, quod cæli vel climatis mutationes calamitosæ, quod incrementum demographicum exitiosum, quod circumiecta quam pollutissima et irremeabilia, quod pestilentia effrenatæ essent ; hæc enim numerabantur in minis insidiisque, quæ nos in abyssum conicere debuissent.

v. *Mundializatio et operarum exstinctio*. Duo argumenta his decem ultimis annis præcipua proferuntur : mundializatio et operarum exstinctio ; hæc vero argumenta sæpe commiscuntur ita ut minacem scenam videamus ; operæ vel labores et omnia bona et democratia a capitalismo universali ubique debebuntur ; capitalismus autem, technologia informatica innixus, operarios plurimos immodice iam exspoliat, præsertim Asiaticos, et reliquis nocet ; inde fieret ut veteres populi, commodis suis assuefacti, in paupertatem irruerent, eodemque tempore Tertius Mundus (qui nunc paupertate afficitur) magis magisque œconomia liberali summitteretur, donec novus Quartus Mundus oriretur et pauperrimus fieret, quem Iohannes Petrus Martin et Haraldus Schumann iam descripserunt in vulgatissimo libro cui titulus « Mundializationis decipula » (*Die Globalisierungsfalle*) ; in quo opere terra putatur fieri « planeta sordidus (*Lumpenplaneten*), qui immensis urbibus abundat, in quibus vici vilissimi sunt (*Megaslums*), ubi homines plurimi vitam pauperrimam degunt » (1996, p. 40)<sup>18</sup>.

Postulationes politicæ, quæ ex istis sententiis sequuntur, difficiles intellectu non sunt ; omnium malorum culpam tenet, ut sæpe, libertas mercandi vel œconomia mercatui favens ; quo omnia meliora fiant postulatur et libertatis abdicatio et socialisticæ nationis conditio ; una via, apud Ulricum Beck, relinquitur : legibus et programmationibus uti, ita ut ubique terrarum gubernationes vel præsides suas potestates in omnes cives omnimodis exercent.

Id tamen fieret idem ac programmationes recentes socialisticæ, quas frustra scimus actas esse ; immo, ad istorum socialistarum mentes, via politica reperienda esset qua opes dividerentur ita ut ea, quæ singulis

darentur, cum iis, quæ singuli ob laborem mererentur, non necessarie congruerent ; hæc ab auctore diurnarioque Suetico Göramo Rosenberg eloquentissime descripta sunt et suo tempore omnium admirationem moverunt :

« Œconomicum augmentum, ad hodiernum technologiæ œconomiaque modum, non in possibile verumque augmentum sed in deminutionem locorum, ubi operarii accepta mercede laborent, progreditur, eoque magis quod id augmentum ex optima technologia et pecuniæ collocationibus excipitur ; agitur ergo de tali augmento, quod hodie in regione Occidua, delet loca operaria potiusquam nova creat (...) ; nobis enim nihil magis præstandum est quam ut non solum ampliora bona generata habeamus, sed etiam nova instrumenta inveniamus ut bona generata omnibus distribuantur (...) ; scimus enim, ob hodiernam structuram sociale, pacta mercede innixam, minus minusque homines cum laboribus operisque recte et æque congruere ; (...) denique scimus hanc structuram multis hominum milionibus nec iustum vivendi situm nec vitæ incitamentum præbere (1997-98, p. 41-42) »<sup>19</sup>.

Et Vivianna Forrester, de qua aliqua iam diximus, addit hæc :

« Nunquam antea fuerunt tempora omnibus maxime periculosa ; et quamvis in genere humano ferocitas semper fuerit, tamen necessitate cohibebatur, nam potentes humana opera egebant ; at nunc non egent, immo opera humana fit supervacua, et eius necessitas evanescit ; intellegiturne quo eamus ? Nunquam enim humani generis vita tantis minis periclitata est (...) ; nunc primum omnes homines vere necessarii non sunt (...) ; ætatibus antea, humana condicio sæpe magis læsa est quam nostris temporibus, at id fiebat in hominum societatibus, quæ, ut superessent, vivis hominibus egebant, nec non multis humillimis ; nunc vero ita non est (...), inde evenire possint multa et infinita damna, nam homines castigatissimi istis cruciatoribus utiles iam non sunt (*L'horreur économique*, 1996, p. 192-194)<sup>20</sup>.

vi. *Libellus contra fallacis de libero mercatu*. Hoc libro Viviannæ Forrester perlecto, et magnopere vulgato, Mauricio Rojas capiendum fuit consilium, anno 1998 ineunte, ut argumenta et computi statistici examinarentur, nam erat comprobandum quam certa essent et credibilia, quæ in libro affirmabantur ; id fieri oportebat, propterea quod non solum de falsis rebus valde propagatis ageretur, sed etiam de falsis minationibus, quas factiones politicæ olim incitare possent ad peregrinos irate repudiandos, ad iurgia inter populos fovenda,



ad nationalismum acerrimum colendum, ad mercaturas importatas respuendas.

Ista enim argumenta erronea, ex quibus loca operaria exstingui debuissent, tandem falsa esse multorum opinione compertum est, qua de causa primigenia acroasis Suetica parum mutanda fuit, ut novæ res de mundializatione<sup>21</sup> distincte perspicerentur : non operas deesse sed operarios. Tamen ex laboris intermissione terror ortus est qui et leges impulit vel in Franco-gallia ; ibi numerus horarum, quæ singulis diebus ad laborandum permittuntur, minutus est.

Sunt aliqui Americani, qui Anglis, Suetis, Germanis, Francogallis ita se adiungant, ut veris rectisque statisticis numerisque de mundializatione egeant, qui in acroase illa anno 1998 Holmiæ habita, exponebantur et postea in lucem editi sunt<sup>22</sup>.

VII. *Potestne œconomia Latine tritari ?* Hactenus Mauricii Rojas ex opusculo excerpta ; nunc reliquum est ut quæramus utrum ad Latinitatem vocare possimus œconomiam necne ; id non facile erit nam vocabula œconomica, ut dictum est, ab Anglica lingua originem plerumque capiunt ; de reliquis scientiis vero, quæ ætate Litterarum Renatarum, vel etiam antea, Latine tractari cœptæ sunt, vocabula et definitiones habemus ; nulla vero vel forsitan perpauca Latine de œconomia.

Utinam de analysi œconomica ageretur Latine ; ego autem, quoad potero, de œconomicis statisticis et argumentis a Mauricio Rojas expositis, pauca in Latinum alias vertenda curabo. ❧

1. Gloria Vivenza, *Adam Smith e la cultura classica*, Il Pensiero Economico, Modena, Pisa, 1984 ; etiam Anglice : Adam Smith and the Classics : *The Classical Heritage in Adam Smith's Thought*, Oxford University Press, 2001 ISBN : 0-19-829666-5, de quo agitur in hac pagina interretiali : <http://www.eh.net/bookreviews/library/0751.shtml>
2. *An Inquiry into the Nature and Causes of the Wealth of Nations*, by Adam Smith.
3. Ut aspici potest in hac pagina interretiali : [http://www.fh-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost19/Marx/mar\\_lat2.html](http://www.fh-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost19/Marx/mar_lat2.html)
4. *Philosophiæ Scholasticæ Summa*, auctoribus P. Iosepho Hellin, s.l., et P. Irenæo González, s.l., III, Theodicea-Ethica, Biblioteca de Autores Cristianos, Matriti, MCMII, p. 601 et seq. (Smith) ; p. 613 et seq. (Marx).
5. Excerptum ex *Los Mitos del Milenio* ; vide infra adnotationem 13.
6. Vernacule Mauricio Rojas (legatur Rochas, ch = χ græcum), Chilensis, qui in Suetia habitat ; Instituti « Timbro » pro libero mercatu particeps et historiae œconomicae professor.
7. Inter alios, Jeremias (Jeremy) Rifkin, Vivianna (Viviane) Forrester, Iohannes Petrus (Hans-Peter) Martin et Haraldus (Harald) Schumann (ex opusculo in nota 13 citato).
8. Fabulæ (mythi) de opera exstinguenda.
9. *Millennium Doom-Falacies about the end of work*, MSF, London, 1999.
10. *Percbé essere ottimisti sul futuro del lavoro*, Carocci, Roma, 1999.
11. *Arbeit ohne Ende*, Acad. Verlag, Sankt Agutin, 1999.
12. *Les trompeurs du millénaire*, CNE, Bruxelles, 2000.
13. *Mitos del Milenio-El fin del Trabajo y los nuevos profetas del Apocalipsis*, Timbro-Cadal, Argentina, 2004.
14. Locus operarius : puesto de trabajo, poste de travail, work place, Arbeit Platz, posto di laboro ; plerumque pluraliter « loca operaria ».
15. Quanto liberius in societate civili agetur, tanto fructuosior erit proventus œconomicus ; vide : *Índice de Libertad Económica* 2005, The Heritage Foundation ; <http://www.heritage.org/research/features/index/>
16. International Monetary Fund.
17. World Bank.
18. Excerptum ex *Los Mitos del Milenio* ; vide adnotationem 13.
19. Excerptum ex *Los Mitos del Milenio* ; vide adnotationem 13.
20. Excerptum ex *Los Mitos del Milenio* ; vide adnotationem 13.
21. Quædam verba Neolatina deprompta sunt ex lexico *Calepino Novo* (Deraedt et Licoppe, Fundatio Melissa, Musée de la Maison d'Érasme, Bruxelles, 2002).
22. Excerptum ex *Los Mitos del Milenio* ; vide adnotationem 13.

# BEATRIX ET EIVS AMICI (VI)

## SIVE DE VITA COTTIDIANA QVARTI DECIMI SÆCVLI

– scripsit *Francisca Deraedt* –

Præterita occasione mythum pelicani narravimus. Alii sunt multi, variis productis animalibus. In hac bestiarum societate, cum de metempsychosi agatur, primum locum tenet equus, excellens animarum receptaculum; quæ præstantia bene intellegitur, cum equus habeatur pro signo nobilitatis. Historia, quæ sequitur, in Iacobi Fournier tabulis inquisitoriis quater exponitur; inde colligere possumus eam artissime adhæsisse populari harum regionum cultui.

Belibasta (semper idem) Arnaldo Cicredi explicat animas malorum hominum non ire ad infernum, quod non sit « alius infernus nisi iste mundus visibilis »<sup>1</sup>, atque ergo eas animas ad pænitentiam faciendam vadere « de corpore in corpus et de tunica in tunicam ». Nec mundum finitum iri antequam omnes spiritus a Deo creati incorporati sint in corporibus hominum<sup>2</sup> et mulierum bonæ, id est hæreticæ, fidei. Hæc autem Belibasta non sine doctrina docet; habet enim ad rem probandam documentum certissimum: nam ei notus est vir, qui de suis transmigrationibus non solum recordatus est, sed etiam argumentum dare valuit.

« Quidam homo fuerat multum malus homo, hominum interfector, et quando mortuus est, spiritus eius subintravit corpus bovis, qui bos habuit durum dominum qui male pascebat eum, et cum magno stimulo eum pungebat. Tamen spiritus ipsius bovis recordabatur se hominem fuisse, et quando mortuus est ille bos, spiritus eius intravit corpus equi, qui equus fuit cuiusdam magni domini qui bene nutrieat eum, sed cum quadam nocte hostes dicti domini invaderent ipsum, dictus dominus ascendit equum prædictum et per rupes et loca aspera duxit dictum equum. Et cum inter duo saxa dictus equus posuisset pedem suum, non potuit extrahere pedem nisi cum magna difficultate, et remansit ferrum inter dicta duo saxa. Et postea per partem noctis subsequentem dictus dominus duxit dictum equum. Recordabatur tamen spiritus equi se in homine fuisse. Tandem mortuo dicto equo, spiritus eius intravit corpus mulieris prægnantis, et est incorporatus in corpore pueri quem dicta mulier portabat in ventre. Qui puer cum crevisset venit ad intelligentiam boni<sup>3</sup>. Deinde est factus bonus christianus. Et cum quadam die cum quodam socio suo transiret per locum in quo dictus equus erat differatus<sup>4</sup>, dictus homo cuius spiritus fuerat in equo dixit socio suo: 'Quando ego eram equus, quadam nocte inter ista duo saxa perdidit ferrum, et postea ivi per totam noctem differatus et perdidit ferrum.' Deinde ambo perquirentes ferrum inter duo saxa invenerunt ferrum prædictum. »

Ah! Irrefutabile, nonne? Hæc cum proferantur verba, adest etiam Guilelma Maurina, quæ narrationem

magno terrore accipit: « Heu me! Quantam poenam sustinuit ille spiritus ante quam posset venire ad pulchram tunicam! » Non dubitamus quin Guilelma se postea probissimam præbuerit, saltem per aliquod tempus: timor semper est optimum incitamentum ad bene agendum.

Beatrix, contra, facere non potest quin de animis ventrem mulieris gravidæ intrantibus fetumque invadentibus paululum dubitet: « Et quare, interrogat, pueri non statim loquuntur quando sunt nati, cum habeant alias animas antiquas? » « Quod Deus non vult », ei peremptorie respondetur<sup>5</sup>.

Ergo mythi magnum locum occupant in vita mediævali. Vespere, iuxta focum, iterum iterumque narrantur, ita ut paulatim varientur et exornentur. Hæc fabulæ res explicare conantur, quarum rationes homines fugiunt. Multa enim latent atque hi homines rustici, quamvis cum natura convivant, quamvis naturam re vera participent, eam tamen nec intellegunt nec penitus percipiunt. Ne cogitant quidem eam esse pulchram. Procul dubio aliquem habent sensum pulchritudinis, nam in tabulis inquisitoriis nonnumquam agitur de puella pulchra, de pulchro pisce cocto aut de pulchris carminibus in ecclesia. At naturæ pulchritudine non videntur delectari, verisimiliter quia nimium afficiuntur difficultatibus, quas eadem afferre solet rusticis. Quamquam eximie pulchri sunt Aurigerenses montes<sup>6</sup>, in quibus vivunt! Sed natura manet mundus arcanus et hostilis, in cuius gremio continetur humanus microcosmos, id est domus. Supra sunt stellæ, imago fati, cui vanum est resistere. Bernardus Franca, ut exemplum præbeamus, pro certo semper habuit « omnes actus humanos et quicquid in mundo fit de necessitate immutabilitatis fieri »<sup>7</sup> nihilque ab hominibus mutari posse de rebus a Deo prædispositis. Itaque Bernardus etiam æquo animo accipit custodiam in quam traditus est ab inquisitore: nonne accidit id quod accidere debebat?

In vico Monte Alionis etiam evenit ut homines moriantur. Cum pater familias obit, in domo servantur eius ungues et capilli, ne amittatur fortuna ab eo allata. Alter autem mundus, mundus mortuorum, videtur nostri valde similis. Hoc bene scit Arnaldus Bothelherius, qui eos videre et alloqui solet: animæ ambulant cum corpore suo, plerumque linteis albis vestitæ, præter clericos, qui vestem religiosam servant; milites vulnera sua exhibent; nobiles dominæ cisiis vehi pergunt, ea sola differentia, quod non iam muli, sed dæmones ea trahunt. Et agunt pænitentiam. Ecce archidiaconus quidam, qui per infortunium in vita sua fuit prædives: quattuor magni canes eum custodiunt

usque dum poenam luat, quod lucrum fecit detrimento clericorum ecclesiæ Sancti Antonini. Ecce domicellus semper equitans, cuius anima verberatur, de equo cadit et eundem semper denuo conscendit. Ecce duo milites in prælio mortui, fissi ad umbilicum, quorum vulnus modo cicatricatur, modo iterum aperitur. Ecce alii, qui manibus coniuncti de ecclesia in ecclesiam eunt pœnitentes. Hi omnes circa viventes ambulant, sed modo impalpabili; in hoc defunctorum mundo soli desunt infantes, qui post mortem statim mittuntur ad quendam locum quietum.

Et quomodo « vivunt », ut ita dicam, mortui? Imprimis sunt mundiores et pulchriores quam antea. Postea nos vivos amant, et nos in lecto osculantur quo melius dormiamus. Tamen eorum vita non est tam bona quam nostra; itaque Arnaldus monet ut « comedamus et bibamus quantum possumus, quia non est vita ita bona sicut vita præsens. »<sup>8</sup> Mortui, exempli gratia, frigent; noctu, si adhuc manent paucae prunæ in foco tuo, domum intrant calorem quærentes. Mortui non edunt; sed bibunt, vinum bibunt, et quidem optimum. Noctu dolia vacuefaciunt in ditioribus domibus. Ipse Arnaldus aliquando inter vindemias vidit meras mortuorum commissationes; quas ipse etiam dicit se participavisse, atque nescimus an fortasse ea ipsa de causa vocetur Bothelherius<sup>9</sup>. Præterea neque tectum habent, neque familiam, atque semper currunt, pœnitentiam curantes dæmonesque fugientes: itaque quo plus peccaverunt, eo celerius currunt. Faciunt etiam sacras peregrinationes: nonnulli, magis diligentes, Compostellam petunt intra quinque dies. Multas ecclesias invisunt, gratias quærentes, quarum beneficio pacem adipisci poterunt. Ergo bene faciemus, si noctu candelas lampadesque olearias in ecclesiis accendemus; sic ibi viam suam facilius invenient. Bene faciemus etiam quod missas pro eis dicendas curabimus; sed hoc non fit gratuito, atque inde astutus Arnaldus noster, qui se internuntium præbet inter familias et sacerdotes, bonum recipit quæstum.

Ah! Ultima res: Arnaldus eos videt, nos non. Quare simus cauti, nolimus ambulantes brachia hic illic vehementer movere, nam « illi qui movent brachia et manus ad latera sua quando vadunt faciunt magnum malum », necessario, « taliter brachia moventes multas animas defunctorum proiciunt ad terram. »<sup>10</sup>

Si hæc omnia consideramus, metempsychosin, naturæ visionem, appetitum quietis æternæ, patet hominem haberi pro mundi umbilico. Ipse Deus dicitur factus esse ut homines salvaret. Quamobrem historicus Emmanuel Le Roy Ladurie, cuius studiis nititur

narratiuncula nostra, his verbis concludit: *Homo homini deus.*

Ecce. Primum inquisitio, postea pestis, Montem Alionis ita vastavit, ut sub finem quarti decimi sæculi solum superessent viginti tres familiæ. Nos Beatrici eiusque concivibus nunc sumus valedicturi. Per nonnullos menses satis curiose exploravimus eorum vitam, animum, consuetudines. Nos fortasse paululum pudet, quod res nonnumquam valde intimas de illis ignotis didicimus. Sed alia ex parte melius illustrata est vita cottidiana illius longinqui sæculi. Denique vix credibile est, tot et tantas et tantillas res ea de causa notas esse, quod quidam inquisitor nimium sedulus, postea papa factus, attentissimas aures erexit ad garrulitates omnis generis, ad sermunculos et delationes huiusmodi: « Duodecim anni sunt elapsi ex quo ipsa (Galharda) stat in villa de Ornelaco, et non vidit dictum Guillelmum communicantem<sup>11</sup> etiam in ægritudinibus, nec in festivitibus, in quibus homines communicare solent, licet viderit ipsum ecclesiam intrantem et tamen, ut dixit, licet socrus eius sit soror ipsius testis. Dixit etiam dictum Guillelmum esse usurarium... »<sup>12</sup>, tamquam si tales blaterationes multa possent causæ conferre.

Et sic fortuito factum est ut Beatrix, Petrus, Grazida, Belibasta, Bernardus, Andreas, Arnaldus, Mengardis, homines obscuri, septem sæculis post adhuc vivant in memoriis. Historia miros aliquando habet anfractus. ❧

1. *Le Registre d'Inquisition de Jacques Fournier, évêque de Pamiers (1318-1325)*, manuscrit latin n° 4030 de la Bibliothèque vaticane, édité par Jean Duvernoy, Toulouse, 1965, 3 vol., II, p. 36.

2. Sic! Belibasta iterum unus est ex eis qui hominem scribunt pro viro, sicque declarare videntur mulieres ad genus humanum non pertinere...

3. Id est: ad catharorum persuasiones.

4. Hoc vocabulum per contextum bene intellegitur, quamquam non invenitur apud Cangium. Ibidem tamen indicatur « differarola, instrumentum ad equis soleas detrahendas » (C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, III, p. 112).

5. *Op. cit.*, I, p. 220.

6. Fr. *Haute Ariège*.

7. *Op. cit.*, I, p. 356.

8. *Op. cit.*, I, p. 545.

9. Bothelherius, qui ad lagoenas pertinet. Fr. *bouteille*. Cfr du Cange, *op. cit.*, I p. 715: « botelheria, cella vasaria ».

10. *Op. cit.*, I, p. 544.

11. Id est sacramentum Eucharistiæ participantem, cfr du Cange, *Op. cit.*, II, p. 456.

12. *Op. cit.*, I, p. 192.

## DE LATINITATE ORIENTALI (IV)

- scripsit Gaius Licoppe -

In tertia symbola de Latinitate Orientali Nicolaum Olahum commemoravi ut humanistam Valachum. Ortu autem est Valachus, sed apud Hungaros studia fecit et sacerdos ordinatus est. Nam a medio quinto decimo sæculo Valachia sub Hungarorum dicionem cecidit; neque lingua, neque identitas Dacoromanica tunc agnoscitur, non mirum ergo quod Nicolaus Olahus adhuc plerumque habetur Hungarus, eo magis quod secretarius fuit Mariæ Hungariæ.

Maria Hungarica, Caroli Quinti soror minor natu, orphana fit, cum unum tantum annum nata sit; pater enim Philippus obiit et mater Iohanna, demens dicta, seclusa est; quare puella Bruxellis educatur in aula amitæ Margaritæ Austriacæ, quæ Provincias Belgicas tunc regit. Decem tantum annos nata, nubit Ludovico, futuro Hungariæ regi. Anno 1521, Ludovicus coronatur rex Hungariæ et Maria cum eo quinque felices annos vivit.

Infeliciter Othomani non desinunt plures pluresque regiones Balcanicas in dicionem suam redigere; ultimi, qui obstant, sunt Hungari, quos Solimanus Magnus frangere statuit. Dum impetum suum parat, Europæi, ut solent, bellum intestinum gerunt. Papa Clemens VII fœdus facit cum Francogallis, Florentinis et Venetis ad potestatem stirpis Habsburgorum minuendam. Ludovico ergo nulla spes est auxilii accipiendi. Anno 1526 exercitus Solimani, quater frequentior quam is Ludovici, Hungaros apud *Mohacs* profligat et ipse Ludovicus necatur in receptu.

Maria, vidua facta cum viginti unum annum tantum nata sit, non vult iterum nubere et otio fruitur usque annum 1531. Tunc, Margarita Austriaca vita functa, Carolus V sororem suam Bruxellas arcessit ut Margaritæ succedat ad Provincias Belgicas regendas. Maria annuit et viginti quinque annos hoc munere fungitur.

Secretarius Nicolaus Olahus apud Mariam fideliter mansit usque ad eius finem; postea cancellarius Ferdinandi I, Hungariæ regis, factus est et in fine archiepiscopus *Esztergom*, Hungariæ primas. In Provinciis Belgicis consuetudinem iunxit cum Erasmo, quem in Mariæ aulam introduxit. Inter permultas epistulas, quas commutaverunt, duas infra proponimus legendas. In altera Erasmus amicitiam profitetur reginæque favorem plus minusve aperte ambit, in altera Olahus Turcorum narrat sævitias.<sup>1</sup>

« Erasmus Roterodamus Nicolao Olao Thesaurario Albensi, Secretario et Consiliario R.M.

(...) Aliquot amicos habui sic addictos iuratosque, ut vel vitæ suæ dispendio meis commodis consulturi viderentur, si res ita tulisset, quos nunc patior hostes, plusquam capitales, adeoque desierunt esse amici, ut

homines etiam esse desierint. Nullæ pristinæ consuetudinis, nulla meritorum memoria, nulla fidei religio, nullus humanitatis sensus revocat illos a maleficiis. Quæ res ut mihi veteres amicos, qui in fide perstiterunt, reddit cariores, ita novos, si qui obtingunt, maiorem in modum commendat. Ipse simplici natus ingenio, delector candidis amicis, qualem te esse tum ex litteris tuis, tum ex Quirini mei narratione mihi videoe liquido deprehendisse, ut tuis munusculis, alioqui lepidissimis mihi que gratissimis, nihil fuerit opus. Penitius impressum est animo meo Olahi simulacrum, quam ut inde possit revelli aut aboleri; perquam grata tamen fuit ista tua supervacua sollicitudo, quippe quam intellego ab amoris abundantia proficisci. Hoc quoque voluptatis adferet mihi cochleare tuum ac fuscinula, quod hac certe ratione Nicolaum meum habiturus sum convivam, ac subinde licebit amiculis dicere, hic est ille meus Olaus, quando reliquam vitæ consuetudinem nobis invidere fata. Libet autem utriusque felicitati gratulari: tuæ, cui contigerit apud eam, qua inter principes feminas nulla est neque humanior, neque moribus sanctioribus, honorificum tenere locum; meæ, qui tam candidum habeam amicum apud præpotentem dominam, cui magnopere velim esse commendatus, cuiusque in me favorem optarim esse perpetuum. Ad id quantum habeat momenti benevolus convictor, iam pridem experimentis compertum habeo. Etsi non mentitur vetus Græcorum proverbium: simile simili amicum esse non dubito, quin illi pro morum sinceritate ingenique candore sis egregie carus. Nec me fugit, quantum illa valeat apud germanos suos, Carolum cæsarem et regem Ferdinandum, quorum favor si me destituat, non video, quid possim adversus tot portenta subsistere. (...) Bene Vale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ. Nona Octobris 1530. »

« Ad Erasmum Roterodamum.

Non sum dubius quin audieris eam crudelitatem, quam Mechemthbecus Turca, præfectus arcis Jaurini, quam superioribus annis cum maxima christianitatis clade amiseramus, diebus præteritis in Hungaria commiserit. Is enim cum decem vel circiter milibus Turcarum, tam celeri itinere ex Jaurino eo, ubi cladem et prædam egit, pervenisse dicitur, ut intra septimum diem hoc itineris, quod est ultra quinquaginta miliaria Hungarica, confecerit, illicque omnem eam regni partem, quæ terra Mathiæ a nostris appellatur, igne consumpserit, viros et adolescentes, quorum ætas erat robustior et vigentior, ultra quindecim milia captos, in Turciam præmisit. Dicitur stationes tres habuisse in quibusdam pagis Alexii Turzonis. Qui cum post Turcarum abitionem visendæ crudelitatis illorum gratia

exivisset, et ad alteram stationum illorum venisset, ultra quingentos infantes partim confectos gladio, partim terræ illis mortuos reperisse, ex quibus quinquaginta, trahentes adhuc ægre spiritum, delegisse, et duobus curribus, ut revocari in sanitatem aliqua cura possent, ad castrum suum Sempthe misisse dicitur, pietate erga semivivos infantes, et crudelitate permotus Turcarum. Vide mi Erasme, quam gravi christianus populus prematur tyrannide, et Hungaria, quæ olim magnis florebat triumphis, magna virtute, ac illustribus suorum splendebat facinoribus, quam magnam nunc patiatur servitutum, ut nec dies, nec noctes tuta sit ab hostium fidei direptionibus et rapinis. Vale. Ex Augusta XIII. Octobris MDXXX. »

Nostris etiam temporibus clari Latinistæ in Dacoromania innotuerunt. Professor enim Nicolaus Barbu (†) Bucurestiensis non solum numeratur inter conditores Academiæ Latinitati Fovendæ, sed etiam multam operam dedit ut ea crearetur; ipse eius prima statuta elaboravit et primum Conventum Bucurestiis anno 1970 instituere valuit. Idem in aliquo Academiæ consessu acroasin fecit de Latina origine linguæ Dacoromanicæ, cuius infra nonnulla excerpta propono.

« Sed, antequam de origine verborum linguæ Dacoromanicæ loquamur, dicendum est non omnia verba uniuscuiusque linguæ eiusdem ponderis esse. Verum enim vero alia verba ab omnibus hominibus qui eadem lingua utuntur usurpantur, sed alia tantum a quibusdam usurpantur. Et inter verba quæ ab omnibus hominibus usurpantur, sunt verba quæ cottidie adhibeantur, ut verba quæ partes corporis humani describunt, partes temporis, frumenta aliaque huius generis. Hæc verba maioris momenti sunt, non tantum pro vita humana cottidiana, verum etiam pro origine linguæ demonstranda, quia verba quæ res maximi et cottidiani usus denominant et ab omnibus hominibus frequenter usurpantur, ea verba et vetera sunt, et originem linguæ demonstrant.

Veterrima verba et frequentissimi usus linguæ Dacoromanicæ sunt Latina. Verum enim vero partes corporis verbis Latinis denominantur, ita ut: *corp* Latine corpus, *cap* Latine caput, *frunte* Latine frons, *ochi* Latine oculus, *gură* Latine gula, *dinte* Latine dens, *limbă* Latine lingua, *ureche* Latine auricula, *nas* Latine nasus, *piept* Latine pectus, *mînă* Latine manus, *deget* Latine digitus, *unghie* Latine ungula, *picioar* Latine petiolus, *a umbla* Latine ambulare, etc. Partes temporis verbis Latinis denominantur, exempli gratia: *timp* Latine tempus, *zi* Latine dies, *noapte* Latine nocte, *lună* Latine luna, *an* Latine annus, *oră* Latine hora, etc. Fieri non potest ut omnia verba originis Latinæ citemus quæ

usus cottidiani veterrimæque originis sunt. Tantum hoc dicemus, septuaginta e centum verbis Latina esse.

Nunc dicamus de grammatica, id est de morphologia atque de syntaxi linguæ Dacoromanicæ. Dacoromanica declinatio coniugatioque Latinæ originis sunt. Quattuor coniugationes sunt, quarum themata hæc sunt: I laudā-re, II sedē-re, III mergē-re, IV fugī-ire. Sunt ergo themata verborum Dacoromanicæ linguæ eadem quæ linguæ Latinæ. Sed declinemus verbum *laudare*, ut videatur quantum similitudinis sit inter coniugationem Dacoromanicam et coniugationem Latinam: *eu laud* (laudo), *tu lauzi* (laudas), *el laudă* (laudat), *noi laudăm* (laudamus), *voi laudați* (laudatis), *ei laudă* (laudant).

Pauca nobis dicenda sunt de verbis *habere* et *esse*, quæ maioris ponderis sunt inter omnia alia verba. Citemus aliquas formas, quæ optima exempla erunt: *sînt/sunt* (sum), *ești* (es), *este/e* (est), *sîntem/suntem* (sumus), *sînteți/sunteți* (estis), *sînt/sunt* (sunt); *eram* (eram), *erați* (eras), *era* (erat), *eram* (eram), *erați* (eratis), *erau* (erant); *am* (habeo), *ai* (habes), *are* (habet), *avem* (habemus), *aveți* (habetis), *au* (habent); *aveam* (habebam), *aveați* (habebatis), *avea* (habebat), *aveam* (habebamus), *aveați* (habebatis), *aveau* (habebant).

Proferamus etiam textum ex ephemeride aliqua. In ephemeride *Scînteia* legimus hæc: *Pentru prima oară în istoria umanității, oamenii au putut contempla ceea ce a constituit timp de milenii un mister de nepătruns. A fost mai ușor omului să parcurgă în spațiul cosmic distanța de sute de mii de kilometri și să culeagă roci de pe Lună decât să coboare în lumea opacă și rece a oceanului.* Latine ea quæ Dacoromanice legimus his verbis reddi possunt: « Per primam horam in historia humanitatis homines contemplari potuerunt id quod de millenniis mysterium impenetrabile constituit. Fuit homini magis facile percurrere in spatio cosmico distantias centenorum milium chiliometrorum et colligere silices ex Luna, quam descendere in mundum obscurum et frigidum oceani. » Ex his verbis tantum: *sute* (= centum), quod vocabulum Slavicæ originis est, *coboare* (= descendere), *rece* non sunt originis Latinæ.

Vocabula Dacoromanica, quæ numeros significant, sunt Latina, pæne omnia. Exempli gratia: *unu* (unum), *doi* (duo), *trei* (tres), *patru* (quattuor), *cinci* (quinque), *șase* (sex), *șapte* (septem), *opt* (octo), *nouă* (novem), *zece* (decem), *treizeci* (triginta), *patruzeci* (quadraginta), etc. ❧

1. Nicolai Olahi epistolæ Budapesti anno 1875 editæ sunt ab Ipolyi Arnold (Monumenta Hungariæ Historica).

# DE QVANTALIS PHYSICÆ FVNDAMENTIS ALIQVOT (III)

– scripsit Stephanus Berard –

DE EXPERIMENTIS « EPR » VOCATIS

Annis 1934 et 1935 Albertus Einstein et Boris Podolsky et Nathan Rosen novum experimentum excogitativum (sive « *Gedankenexperiment* ») contulere eo destinatum ut Vulgatæ vel Hauniensis theoriæ absurdum quoddam, quod saltem sibi videbatur, retegerent. Cuius experimenti ecce summarium perbreve.

Si quapiam ex interactione quantali oriuntur bina entia, velut photonia, præscribunt mechanicæ quantalis leges ut binæ horum entium proprietates qualescumque correlatæ sint (sive ut sit semper inter eas ratio aliqua reciproca). Quale entium par quodque « quantaliter implicatum » esse dicitur; nam ipsa entia tam parva sunt ut primis principiis quantalibus serviant atque, ut unico eventu quantali exorta, proprietates mensurabiles binares reciproco semper inter se modo præsentent. Exempli gratia, cum photonii impetui angulari sive « vertigini » (« *spin* ») circum axem factæ mensuræ binæ, « sursum » et « deorsum » quæ dicuntur, attribui possint, postulant leges quantales ut, compta alterius particulæ mensura vertiginali, altera particula vertiginis mensuram semper contrariam præstet. Si « sursum » æquat  $+1$  et « deorsum »  $-1$ , mensuram vertiginalem ambarum particularum adiunctarum zerum æquare oportet – id quod fieri necesse est in unico systemate quantali cuius impetus angularis summa zerum æquat.

Huius autem rei maxima pars hæc est. Etiamsi bina entia implicata in contrarias partes contendant, ipsum alterius entis metiendi factum – quo hoc ens in particulam proprietatibus certis dotatam collabitur – alterius entis impetum angularem simul definiat, etsi hæc entia usque ad diversos galaxiæ nostri fines perrexerint pluriesque centena milia annorum luce mensuram ante mensuram factam inter se distent atque *etsi ipse investigator per metiendi modum proprio ex arbitrio determinare potest, per mensuræ modum, utram habitura sit proprietatem prima particula:  $+1$  an  $-1$  – quo quidem simul dicitur investigatorem alterius particulæ proprietatem altera in galaxiæ extremitate versantis statim definire!* Hæc vulgatæ interpretationis significatio videbatur illis viris doctis sententiam Hauniensem eo impugnare quod theoria relativistica, numerosa per experimenta confirmata, prorsus interdicebat ne informatio ulla lucis velocitate celerius moveretur. Einstein et Podolsky et Rosen pro certo habebant neminem per experimenta demonstrare posse alterius particulæ mensuram alterius particulæ longe distantis rationem se gerendi mutare si per hoc oporteret hanc informationem lucis velocitate celerius procedere. Nullam fore correlationem, quin potius ambas particulas, si separa-

tim inspicerentur, eundem vertiginis numerum habere posse exspectabant. Hæc pars illius notissimæ altercationis inter Albertum Einstein Nialumque Born diu agitata, experimentum excogitativum « EPR » plerumque nominata, non ante vicesimi sæculi ultimam partem (annos octogesimos nonagesimosque) horumque amborum mortem est composita.

Anno 1964 Ioannes Stewart Bell physicus theorema mathematicum divulgavit, nunc nomine « Theorema Bellianum » notum, quod et contradictionis « EPR » periclitandæ rationem suggestit et simul indicavit, si talis periclitatio theoriam quantalem vulgatam confirmasset, gradum quantalem *non esse localem* fatendum fore, hoc est, necesse fore regnum quantale pro rerum gradu profundiore habere altioribus in dimensionibus existenti in quo totum universum a nobis perceptum non solum eodem tempore sed etiam eodem « loco » existere (quo nempe dicatur regnum quantale in spatiotempore quadridimensionali nostro neque ullo tempore neque loco existere ullo præcipuo). Quamquam sane tandem compertum est gradum quantalem modo holistico præsentique et secum et cum omni parte universi esse proxime coniunctum, quantali tamen in gradu inventum est nullam exstare informationem discretam certamve, quocirca invicem constat eventus quantales relativitatem non violare. Quantum enim continet informationem tantum potentialem. Inter Quanta spatium disiuncta nullo modo constitui possint ligamina causalitatis quæ informationem utilem transferre possint. Cum informatio quævis tali re exorta quali entium implicatorum paribus habeat ob hoc, secundum theoriam quantalem, fontem quantaliter ambiguum, « signa quantalia » semper fortuita eveniant. Quid igitur plura? Quamvis et in cuniculatione quantali (sc. processu illo quo ens quantale quodpiam dissæpimentum corporale aliquod ita transcendit ut nullus tamen fiat transitus, id quod fieri potest propter Ambiguitatem Quantalem ac modo probabilistico se evolvit) et in entium quantalium implicatione lucis velocitatis leges violari videantur, nulla tamen fit violatio. Etenim *relativitatis classicæ præcepta spatitempus tantum quadridimensionale, totius universi subclassem parvam, temperant. Quantum spatitempus relativisticum, ut ita dicam, non violat sed « circumdat ».*

Hæc omnia pluraque confirmantia experimenta anno 1982 Lutetiæ sub Alano Aspect posteaque, anno 1997, a Nicolao Gisin manuque illius apud Universitatem Genavensem (Helveticam) peracta sunt. Scilicet approbatæ sunt et Interpretatio Hauniensis et theoria de localitatis defectu. Implicatissima experimenta hæc in computationibus statisticis nixa sunt ad

photoniorum parum status polarizatorios attinentibus. (« Polarizatorium » est id quod ad polarizationem pertinet, quæ est creatio status in quo ex duobus inter se diversis undarum radiationisve mensuris sive ex multis quæ fieri possint mensuris disparibus una tantum sive harum numerus ordinate imminutus permittatur.) Ad summam, correlationem sive rationem reciprocam inter particularum proprietates animadvertere physici in uno quoque pari, quamquam singularum particularum status semper fortuitus erat. Perfectæ sunt etiam et Berkleiæ et Rucupis (*Rochester*) Neoeboracensibus horum experimentorum versiones in quibus, sicut supra descriptum est, optio differebatur, qualia experimenta « Detersoria Quantalia » (« *Quantum Erasers* ») vulgo denominantur. De talium experimentorum eventu scripsit Bernardus d'Espagnat physicus « ...licet iam impune dicere [eventorum quantalium] inseparabilitatem unum esse ex certissimis principiis generalibus physicis. »

#### DE HOLISMO QUANTALI

Rerum periti periclitantes complures Theorema Bellianum omnifariam scrutati sunt ; attamen etiam atque etiam evenit ut causalitas quantalis et de animadversione pendeat et non solum temporaliter symmetrica sive « intemporalis » sed etiam « inlocalis » sit. Nulla umquam proposita est « theoria localis » quæ inlocalitatis quantalis rationem reddere potuerit. In rerum gradu quantali animadversio veritatem sive « realitatem » definit – id quod nec spatium nec tempus ullo modo afficit impeditve. Neque insuper terminus modusve ullus numerum circumscribit particularum quæ inter se quantaliter implicari possint, nec quicquam est cur Quanta omnia non esse inter se implicata credatur. Immo vero universum nostrum systema quantale unicum holisticumque esse videtur – quam rem et merito et recte vocavit Henricus Stapp physicus « vel omnium scientiæ naturalis repertorum gravissimum ». Enimvero hac ipsa inlocalitate inest et facultas « teleportationis » sive « telemetaphoræ » quantalis, quod quidem maximum facinus scientiale – credas, non credas, humane philologe hoc legens ! – reapse primo peractum est, etsi in gradu quam minimo, anno 2000 ac deinde nuperius in Australia, omnino sine interiecti spatii ope teleportata materiæ holeracæ parva mole, est duplicatum.

Ne teleportatio quidem quantalis relativitatem Einsteinianam, ne informatio citius quam lucis velocitate transmittatur interdicens, violat ; nam etsi particulæ inter se quantaliter implicatæ sed longe inter se separatæ modo inter se reciproco et congruente se gerunt, nulla informatio utilis, sc. ultra informationem

illam de singularum particularum implicatarum statu, quantaliter transfertur. Vt teleportetur corpus multimoleculare, situs mittendi situsque accipiendi ita inter se coniuncti sint necesse est ut aliquo modo, sc. electronico, informatio simul teleportatione libere huc illuc transmitti possit.

Holismus quantalis, si temporaliter symmetrice consideratur, significare videtur hoc : nos experimenta peragentes facta præterita non re vera ex post facto « efficere » nec coniunctiones inlocales vere « creare » sed potius varia quæ de universi partibus rescivimus conectere temptantes detegere nos rationem reciprocam universalem inter partes et totum exstantem. Ea quæ qua scientiæ nostræ obiecta exoriri videntur non tamen a nobis creantur efficiunturve propterea quod, sub tempore symmetrico, hæc res « sempiterno » adfuere/adsunt/aderunt neque reapse extra nos sensumque nostrum, ut cosmi partes, usquam dividuntur. Hoc est, causalitas vere universalis et holistica esse videtur, solumque absoluta mancave vel etiam confusa videtur si modo considerandi tempore devincto (tali quali nostro) spectatur.

#### DE SYMMETRIÆ PHYSICÆ GENERIBUS

Leges physicæ pleræque, sed non prorsus omnes, symmetricæ sunt tantum speculi ratione (qua scilicet inverti possunt latera dexterum et sinistrum) quantum temporaliter. Quo præterea minor rerum gradus, eo magis valet symmetrica. Rerum aspectus asymmetrici quos in vita cotidiana animadvertimus ob mundi macroscopici coria multiplicia alia aliis superimposita gignuntur. In gradu autem scientiæ physicæ particularis symmetricam pæne absolutam et abstractam cernimus. Sunt enim entium ordines quorum aspectus inter se symmetrice congruunt. Hæc « hypersymmetrica » (sive « *supersymmetry* »), quæ dicitur, omnium symmetricæ generum abstractorum pro prima habita, ad particularem conversionem (sive particulæ modum se circum axem convertendi) spectat. Theoriæ hypersymmetricæ « fermionia » (sive semi-integræ conversionis particulas, velut electronia et protonia et neutronia) et « bosonia » (sive particulas, sicut photonia et gluonia, quarum conversio integra est) inter se conferunt. Secundum novissimam theoriam, in gradu etiam profundiore omnis materia ex sex quarcis vehementer inter se agentibus sexque leptoniis leviter inter se agentibus consistit. Fieri potest ut hæc omnia invicem ex « hypernematibus » sive « filis ultimis » sive « entibus oscillantibus primis ultimisque » (« *ultimate primal oscillators* ») constent quæ, secundum theoriæ hypernematicæ præsentem gradum, undecim (vel forsitan adeo

sex et viginti) in dimensionibus existunt – quæ dimensiones invicem, « principio » universi nostri in rerum gradu Planckiano inter se complicatæ sunt atque, ob hoc, a nobis animadverti nequeunt.

Quibusdam dimensionum numeris opus esse videtur ut efficiatur inter mechanicas relativisticam quantalemque congruentia aliqua. Quod in primis realitatis nostræ gradibus obtinet symmetria, hoc indicium magnum est exstare regulam frugalitatis universalem. Scilicet videtur rerum natura, ubicumque res mathematica hoc sinit, optionem usque eligere simplicissimam, id est, eam optionem quæ symmetriam mathematicam, seu oculis visam seu abstractam, quam maxime augeat. Ipse etenim gradus quantalis in se habere creditur omnes quæ fieri possunt configurationes geometricas ita commixtas ut fiat quædam « spuma quantalis », quam dicunt physici. Qua spuma quantali, sive possibilitatis copia infinita, spatium quod nos « vacuum » dicimus vel scatet vel per eam undique, altioribus ex dimensionibus, « continetur », altera fiendi optione abrogante semper alteram, quæ abrogata invicem forsitan etiam omnino extra universum nostrum « collabatur ». Cum in æquationibus undalibus quantalibus, id cuius mentio iam facta est, incidant quantitates infinitæ, membra hæc infinita primum per actionem quandam mathematicam, « renormalizatio » vocatam, tollenda sunt ut fiant utiles computationes quarum eventus non infiniti.

quarca :  

$$\begin{matrix} \mathbf{u} & \mathbf{c} & \mathbf{t} \\ \mathbf{d} & \mathbf{s} & \mathbf{b} \end{matrix}$$

leptonia :  

$$\begin{matrix} \nu_e & \nu_\mu & \nu_\tau \\ \mathbf{e} & \mu & \tau \end{matrix}$$

*Theoriæ hypersymmetricæ summarium, gradus quarcorum (« u » et « d » etc.) et neutrinatorum («  $\nu_e$  » etc.) et electroniorum (« e » etc.) monstrans. Cuiusque generis particularum sunt invicem tria genera. Materia familiaris tantum ex quarcis « u » et « d » atque electroniis consistit. Neutrino perquam raro cum materia reciproce agunt (sive « interagunt »).*

Ex illa symmetria dimensionali iudicantes quam ultimis in rerum gradibus, scilicet quantali et hypernematico, exstare putamus omnium demum processuum naturalium fundamentum suspicamur esse geometricum. Nec mirum ; nam functiones undales quantales nondum collapsæ adhuc informationales esse videntur nec prius « energeticæ » fieri quam collabantur. Cui si adduntur et inlocalitas et symmetria temporalis, fit etiam verisimilius realitatis fundamenta magis statica esse quam dinamica. ❧


AQVAM E PVMICE POSTVLAS adagium 375



## DE LVDIS AERIIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Talem umbellam, qualis valeret hominem de cælo labentem ita retentare ut ad solum incolumis appelleret, iam excogitavit Leonardus Da Vinci, sed tunc deerat materia idonea ad levem umbellam conficiendam. Aptior materia confecta est exeunte duodevicesimo sæculo, quam Iohannes-Petrus Blanchard, Francogallus aeronauta, primus adhibuit ad huiusmodi umbellam fabricandam. Qui vir anno 1785, animalibus tantum utens, umbellæ efficacitatem demonstravit. Eodem anno idem, aerostato per aera vectus, fretum Gallicum primus transiit.



Signum cuiusdam cauponæ, XVII sæc.  
Le Bourget, Museum aeris et spatii intersideralis.

Huic novi generis umbellæ Francogalli nomen dederunt « parachute », secundum exemplum vocabuli « parapluie » ; Angli hoc vocabulum immutatum sibi assumpserunt. Ad hanc rem designandam non facile erat aptum vocabulum Latinum fingere ; vicesimo sæculo Iosephus Maria Mir, moderator optimi periodici Latini in Hispania editi cui titulus erat « Palæstra Latina », proposuit « decidiculum », quod nunc generaliter acceptum est. Radix huius neologismi est verbum « decidere », quo significatur moveri deorsum versus.

Annis sexagesimis vicesimi sæculi, David Barish, Americanus aeroplaniga militaris, aliquid novi experiri cœpit. Decidiculi telam expandere conatus est currendo in proclivi solo. Brevi animadvertit formam circuli decidiculi ad huiusmodi avolationem non esse aptam. Tunc fabricandam curavit telam rectiangularam, quacum avolare valuit sive currendo, sive nartando.

Magna mutatio sic facta erat : decidiculum est instrumentum idoneum ad lapsum retardandum, sed novum instrumentum e contrario ad avolationem spec-

tabat, quare novo nomine egebat, quod Anglice fuit « paraglider ». Latine cur id « ascendiculum » non appellemus, secundum decidiculi exemplum ?

Ascendiculi inventum fuit initium novorum ludorum athleticorum. Audaces homines ascendiculo suspensi ascendentibus fluentis aeriis utuntur ut diu volitent ; retinacula suspensoria admovent ad cursum quocumque dirigendum. Duo sunt genera fluentorum ascendentium : in planitie, ubi sol ardet, aer calidior factus ascendit, id quod vocatur fluentum thermicum ; in montibus, ventus qui clivo occurrit sursum flectitur, id quod appellatur fluentum dynamicum ; quibus deficientibus fluentis, aeroplanigæ « liberi », qui dicuntur, possunt etiam diversimode remulcari, i.e. machina tractoria, autocineto, vel motoscapa.

Ut solet, ex usu variæ species ascendiculorum apparuerunt. Tela rectiangulara iam non est simplex, sed duplex facta est et constat ex viginti loculis ; eius area est circiter decem quadratorum metrorum ; aeroplaniga stat. Postea area aucta est usque ad quadraginta quadrata metra, in sexaginta tenuiores loculos divisa ; forma iam non est quadriangulara, sed alæ similis, cuius extremitates sunt rotundæ ; aeroplaniga sedet vel recumbit. Francogalli ei novum nomen dederunt, quod est « parapente » ; Latine fortasse dicere possumus « ascendiculum alatum ».

Ne a solis fluentis pendeant, sunt qui in tergo gerant minimum motrum helicem movens ; sic facti sunt aeroplanum sine carina ! ❀



Hæ duæ imagines : [www.experience-parapente.com](http://www.experience-parapente.com)

## DE NOVIS LIBRIS

A.E. RADKE (ED.), *Alaudæ ephemeridis nova series. Fasciculus primus*, Noctes Neolatinæ, Neo-latin texts and studies, Band 5, Hildesheim, Georg Olms Verlag, 2005, 199 p.


Recte scripsit Wolfgangus Jenniges in Melissæ fasciculo 125 : « Alaudæ iterum cantant ». Qui titulus alludebat ad Caroli Henrici Ulrichs (1825-1895) fasciculos cura et opera Valahfridi Stroh iterum editos (vide Melissam n. 125, pp. 4-7). Sed ecce nunc insuper novæ cantant « Alaudæ », curante Anna Elissa Radke poetria in orbe Latino præstantissima. Cum autem priores « Alaudæ » divulgatæ sint ad linguam Latinam quoque versus propagandam, hæ sibi proponunt « ut sit Latinitas una vox inter multas et imprimis ut et nostris temporibus porro texat contextum poeticum, quem incohavit Homerus et qui adhuc continuatur a recentissimis poetis Neolatinis » (p. VII). Hic primus fasciculus (ducentarum tamen fere paginarum !) in duas partes est divisus. Prior acroases continet de recentioribus poetis Latinis, sive Latine scriptas (A. Weische, W. Hübner, D. Money), sive Theodisce (J. Rostropowicz, A.E. Radke, W. Wimmel), sive Francogallice (É. Buszewicz). Altera pars ipsis dicatur poetis : K.H. Ulrichs, M. Hoffmann, T. Lindner, G. Allesch, K. Zeleny, D. Money, A. Van Dievoet, M. Rohacek, D. Sacré, T. Pekkanen, W. Czapiewski, A.E. Radke.

ISBN 3-487-12997-3

M.L. KALLELA, E. PALMÉN, *Clavis Latina II*, I. Textus et cultura, II. Grammatica et exercitia, Helsinki, Oy Finn Lectura / Opetushallitus, 2005.

In Melissæ fasciculo 122 laudata erat prima pars huius methodi scholaris, qua Finni pueri linguam Latinam non solum bene, sed etiam gaudenter discant. Quid de altera parte nunc dicamus, nisi eam esse tam iucundam tamque vivam quam priorem. Multæ res ab auctoribus Latine explicantur, sicut exempli gratia ratio annorum et mensium, dies septimanæ et horæ, aut etiam vita Catonis. Themata electa bene congruunt cum adolescentium expectationibus. Exerciitiis coluntur colloquia Latina, quibus discipuli iam in priore methodi parte sunt assuefacti, nec neglegitur Latina scriptura. Res hodiernæ cum antiquis sæpe conferuntur. Veterum carminibus auctores non timuerunt etiam nostri temporis cantilenas coniungere, a Teiva Oksala in Latinum versas. Imagines sunt permultæ atque... atque, puellæ, gaudete : etiam – res in Latina methodo inaudita – inest Brad Pitt, idolum vestrum, Achillis personam gerens, cuius photographema Troianam historiam illustrat !

ISBN 951-792-187-X, 951-792-188-8





# In hoc fasciculo !

*Europalia Russiæ* [G. Licoppe] p. 1  
*In memoriam I.C. Champeau* p. 3  
*De Schola Nova ante decem annos condita* [G. Licoppe] p. 4  
*Qua lingua de œconomia disputatur ?* [P. Kangiser] p. 5  
*Beatrix et eius amici (VI)* [F. Deraedt] p. 8  
*De Latinitate orientali (IV)* [G. Licoppe] p. 10  
*De quantalis physicæ fundamentis aliquot (III)* [S. Berard] p. 12  
*De ludis aeriis* [G. Licoppe] p. 15  
*Bibliotheca Latina* p. 16

*Imago tegumenti : Russi, quales septimo decimo sæculo fuerint. Hæc imago, sicut ea palatii Petropolitani et cincturæ Hunnicæ, excerpta est e catalogo Europalia.*

---

## LATINE LOQVI...

### SYMPOSIUM BRVXELLENSE

instituet Melissa d. 6-13 m. Augusti a. 2006,  
auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ

Proxima æstate Melissa symposium Latinum in urbe  
Bruxellis instituet. Hoc symposio, quod volumus  
esse iucundum sodalium concilium, participibus dabi-  
tur occasio de variis argumentis disputandi, quæ  
Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela  
Latina nondum est consueta, exercitationes Latine  
loquendi proponentur.

Pretium

- *inscriptionis* :

- *adultis* : 50 eur.

- *discipulis et studentibus* : 25 eur.

- *pernoctationis et victus* : 250 eur.

- *externis* : 18 eur. *singulis diebus pro œco et prandio.*



Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

### ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ CONVENTVS

In Hispania, Alcannizii et Ampostæ, d. 24-28 m. Iulii.  
✉ [joaquin.pascual@uca.es](mailto:joaquin.pascual@uca.es)

### AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

In Germania prope Coloniam, d. 16-22 m. Iulii.  
✉ [dominique.viain@wanadoo.fr](mailto:dominique.viain@wanadoo.fr)

### CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, d. 14-23 m. Iulii.  
✉ Prof. Terentius Tunberg : [clatot@pop.uky.edu](mailto:clatot@pop.uky.edu)

### CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 25 m. Iunii - 1 m. Iulii.  
✉ <http://www.wenval.cc/boreoccidentales/>

### FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 31 m. Iulii - 7 m.  
Augusti. ✉ [marie-antoinette.avich@wanadoo.fr](mailto:marie-antoinette.avich@wanadoo.fr)

### SEMINARIVM PRAGENSE

A L.V.P.A. institutum, 31 m. Iulii - 6 m. Augusti.  
✉ [www.lvpa.de/](http://www.lvpa.de/)

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

✉ Morsaci in Helvetia : 23-29 m. Iulii. ✉ in Belgica in  
abbatia Maretiolensi : 6-12 m. Augusti. ✉ Societas  
Latina : [s.albert@mx.uni-saarland.de](mailto:s.albert@mx.uni-saarland.de)

### SEPTIMANA AMCENEBVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 29 m. Iulii - 5 m.  
Augusti. ✉ [www.septimanalatina.org](http://www.septimanalatina.org)